

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3450

Auteur(s) : Guy de la Roche, Vexin (chevalier)

Auteur(s) : Ansel d'Île, Vexin (chevalier)

Auteur(s) : Mathieu de Trie, Vexin (chevalier)

Auteur(s) : Jean de Chaumont, Vexin (chevalier)

Auteur(s) : Gilon de Montchevrel, Vexin (chevalier)

Auteur(s) : Johannes de Barre, Vexin (chevalier)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1235, mai

Lieu d'émission : Saint-Germain-en-Laye

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Règlement sur le relief des fiefs du Vexin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 414, p. 67.

Texte établi d'après a

Item ordinatio facta de releveis feodorum Wulcassini gallici.

Nos Guido de Ruppe, Ansellus de Insula, Matheus de Tria, Johannes de Calvo monte, Gilo de Monte chevrel et Johannes de Barris, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos et alii milites Vulcassini gallici, die mercurii proxima post Nativitatem Domini proximo preteritam, coram Radulfo tunc temporis ballivo Vulcassini, convenimus, et tractavimus de releveis feodorum Vulcassini gallici, et consideravimus aliquas malas consuetudines, que erant in releveis feodorum. Tandem omnes milites Vulcassini promiserunt, fide prestita corporali quod quicquid ordinarem super dictis releveis firmiter observarent ; et Matheus de Calvo monte creantavit coram domino Rege, quod ordinationem nostram super hoc firmiter observaret. Nos igitur, de consilio curie domini Regis, et de assensu et voluntate ipsius domini Regis, super dictis releveis Vulcassini Gallici ordinandum duximus in hunc modum : videlicet, quod de feodis relevandis in Vulcassino gallico et de aliis ad eandem consuetudinem relevandis de patre ad filium vel alio modo, quando releveium evenerit, nisi finatorie possit finire cum domino suo, dominus tenebit domanium in manu sua per unum annum. Si ibi sit terra arabilis que culta sit et seminata, dominus capiet medietatem si sint culte, et si terre vel vinee culte non essent, sicut supradictum est, dominus racionabiliter eas coleret et fructus percipiet illius anni. Si sint ibi vivaria, appreciabantur per duos milites juratos, homines domini, si habuerit, et, si non habuerit, requiret eos a domino capitali. Illi duo milites jurati inquirent bona fide quantum vivaria quinto anno valerent, si essent per quinque annos custodita, et quintam partem

illius precii quod valerent habebit dominus pro illo anno ; et eodem modo fiet de Warennis per milites eodem modo captos et juratos. Si sint ibi nemora, per milites eodem modo captos et juratos, considerabitur et appreciabitur quantum nemus illud, si scissum esset, et septem annos postea custoditum, tunc valeret, et septimam partem illius precii quod nemus valeret per septem annos custoditum haberet dominus pro illo anno. Si vero in feodo illo, de quo fiet relevacio, sint homines qui talliam vel auxilium debeant, dominus non poterit levare talliam vel auxilium pro releveio. Si sit retrofeodum, et releveium evenerit infra annum, dominus habebit releveium, et in fine anni dominus habebit pro quolibet retrofeodo servitium, videlicet pro quolibet feodo quatuor libras parisiensium, quas relevator tenetur reddere domino. Et si dos fuerit in aliquo feodo, relevator satisfaciet domino secundum valorem dotis, postquam dominus terram tenuerit per annum, recipiet homagium ab herede, tali modo quod heres de preciiis vivariorum, garennarum, nemorum, servitiorum et valorum docium, de quibus supradictum est, debet domino prius facere gratum suum, vel competentem securitatem ei dare, quod infra octoginta dies ei faciet de supradictis gratum suum, et dominus, quamdiu terram tenebit in manu sua, vivaria, garennas, nemora debet facere custodiri bona fide. Nos autem ordinationem istam, sicut superius est expressa, concessimus pro nobi et aliis militibus Vulcassini apud Pontisaram coram domino Rege, die sabbati proxima post invencionem Sancte Crucis proximo preteritam. Actum apud Germanum in Laia, anno Domini M° CC° XXX° quinto, mense maio.